



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Initium Sapientiae & Finis: Timor Domini, & Amor Dei: Seu
de fuga peccati, deque dilectione summi boni**

Comitin, César Jean-Baptiste

Coloniae, 1709

Summa Capitis secundi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50773](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50773)

si Caipham dixissem, appellares ad præto-
rem injuriæ. Dicit non vis, & esse festinas.
Quoties prodidisti? ne pro triginta quidem
denariis. Et illi quidem per inscitiam; tu
Christi, tu Dei in Christo non ignarus. Non
ne ubi plus gratiæ, plus est sceleris? ubi
plus notiæ, plus est nequitia? *Minus pec-
caverunt Judæi, inquit Augustinus, (In Psal.
68. conc. 2.) crucifigentes in terra ambulan-
tem, quàm qui contemnunt in celo sedentem.*
Ego te certè, qualem voles, dicam. Sed te, si
peccas, meque Anselmus etiam diabolo ne-
quiores facit. *Quia Diabolus, inquit, per-
sistit in malitia, Deo reprobante; ego verò,
Deo revocante. Ille obduratur ad punientem;
ego ad blandientem: Et si uterque contra De-
um, ille contra non requirentem se, ego contra
morientem pro me. Ecce cujus imaginem hor-
rebam, aspicio in me horribiliorem.*

Summa Capitis secundi.

Age nunc collige summam, si vales. 1. Of-
fenditur Deus, & Deus immensus, & mise-
ricors, & vindex. 2. Et in oculis. 3. Et tantâ
cum atrocitate, ut etiam perditum opti-
mum parentem velimus. 4. Largitorem
bonorum omnium; quo ne peccando qui-
dem carere possimus. 5. Id verò quia ta-
ceat

ceat, quia non puniat, quia truncum puta-
 mus, 6. Cùm tamen ejus sanguinem videri-
 mus pro nobis effusum, frustra & pro nobis
 & contra nos clamantem. 7. Quid dicam
 amplius? non exinanitam solùm Crucem,
 sed etiam instauratam. 8. In hoc & Judæis,
 & Judâ, & Judice Pilato, & denique dia-
 bolo crudeliores, ùt modò audisti. Et ista
 tanta furorem non sistent? Summus, opti-
 mus Deus ab abjectissimo vermiculo tam
 atrociter offenditur? momenti gratiâ? Ah!
 si homines hæc intelligerent! si Christiani
 perpenderent! Quis ille tam furiosus tam-
 que impius, qui in hæc nefanda, immania,
 truculenta spontè incurrat? tunc, fili? tu,
 Christi secutor! ah! mihi nunquam de te
 tam sinistra mens obveniat. Non credo; nec
 credam, dum aliquis sensus erit. ergò re-
 spisce, *Deum time, & mandata ejus observa:*
hoc est enim omnis homo. (*Ecclesiaste 12.*) Ergò
 (infert rectè Bernardus) *si hoc est*
omnis homo, absque hoc nihil
omnis homo. (*Sermon,*
20. in Cant.)